

Kriegelmann:
De episcopis
et diaconis
primae
ecclesiae
christiane

1740.





C. 7. num. 4.

32
COMMENTATIO HISTORICO THEOLOGICA.
DE
EPISCOPIS ET DIACONIS
PRIMÆVÆ ECCLESIÆ CHRISTIANÆ,
QVAM
DISSERTATIONI
VIRI SVMME REVERENDI ATQVE DOCTISSIMI
DOM. DANIELIS SALTHENII

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN. IN ACADEMIA
REGIOMONTANA

DE
ΔΙΑΚΟΝΟΙΣ ΝΕΟΦΥΤΟΙΣ

OPPONIT

JO. CHRISTIANVS HEINZELMANN
PASTOR ECCL. BROMENSIS IN DVCATV.
CELLENSI.

HELMSTADII TYPIS JOH. DRIMBORN
MDCCXL.



COMMENTATIO HISTORICO THEOLOGICA

DE

EPISCOPIS ET DIVOCUNIS

TRINUM LCCETIKE CHRISTIANE

649

DISSERTATIONI

ALIUS SUMMUS REUTHERIUS AGRICOLA DOCTASSIM

DOM. DANIELIS SALTHEINI

EX TITLO DOCT. ET PROL. OPOSI IN ACADEMIA

REUTHERIANA

DE

DIAKONIOIS NEFOYLIOZ

OPTIONI

JO. CHRISTIANVS HEINZELMANN

FRATR. IO. E. F. SOMMERSIS IN BACATA

GERMANIC.

HELMSTADTENSIS IOH. DRIMFORNI

MDCCLXV





§. I.

Eo tempore, quo Ecclesia novi fœderis a Christo Salvatore fundata, & ab ejus Apostolis per prædicationem Evangelii hinc inde per totum orbem collecta, primo suo ac antiquo flore & vigore adhuc splendebat, non solum plurimi inter eos, qui religioni christianæ erant addicti, insignem ardorem in fide & pietate præ se ferebant, ac religiosæ sanctitatem pia & sancta vita tuebantur, sed in primis etiam illi, qui docendi munere in ecclesia fungebantur, id ante omnia curæ cordique sibi esse debere secum statuebant, ut typi essent gregis, & doctrinam Iesu Christi non solum docerent, & docendo profiterentur, sed etiam ejus divinitatem & sanctitatem divina & sancta vita exprimerent. Multis hoc probat exemplis ex historia sacra desumptis b. GOTTH. ARNOLDVS, in libris egregiis, die Gestalt eines Evangelischen Lehrers, & Abbildung der ersten Christen. In affiduo

A a

hoc

hoc fidei & virtutum christianarum exercitio sequebantur Doctores Ecclesiae primos discipulos & Apostolos Jesu Christi, qui in epistolis suis per Spiritus Sancti illuminationem scriptis ejusmodi virtutes illis, qui universae ecclesiae docendo praeerant, præscripserant, quas sanctum hoc officium requirit & jubet. Notatu digna sunt verba Apostoli Pauli, prioris Epistolæ ad Timotheum, capite III. ubi virtutes ministrorum ecclesiae ita recenset: *Oportet igitur Episcopum irreprobensum esse, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum: Non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem: sed æquum, alienum a pugnis, alienum ab avaritia, qui suæ domui bene prefit, qui liberos habeat subditos cum omni honestate, non novitium, &c.* Et postea: *Similiter Diaconos oportet esse piros, non bilingues, non multo vino deditos, non turpi lucro inbiantes, habentes mysterium fidei in pura conscientia, &c.* Utinam omnium verbi divini præconum mens & viata ad hasce regulas apostolicas esset composita!

§. II.

Inter haec, quæ Apostolus ab Episcopo requirit, hoc etiam notandum est, quod episcopus non debeat esse νεοφύτος, id quod expressa eadem voce Apostolum postea a Diacono non requirere, a me nuper observatum est. Eaque observatio Viro S. Reverendo, DANIELI SALTHENIO, S.S. Th. Doct. & Professori Regiomontano, occasionem dedit, dissertationem historico theologicam de Διακόνοις νεοφύτοις adversus me operose scribendi, quam Cl. IO. THEOPH. FISCHE-

SCHERVS respondendo in cathedra academica publice defendit. Evidem nescio, an S. Rev. SAL-
THENIVS, an Cl. FISCHERVS Auctor sit hujus Dis-
sertationis; quod mihi quidem unum idemque esse
potest, uterque tamen manum operi admovisse vi-
detur. Observationem meam Vir Doct. transmutat
in sententiam, quam mihi tribuit, firmiter sic jam po-
sitam, & §. III. Dissertationis dissensum a summis in-
terpretibus mihi impingit. Sane hujus accusationis
rationes nullo modo invenire possum, nec me per-
spicere posse profiteor, in quo a summis Interpretibus
dissentiam. Observari tantummodo, idque observa-
tu dignum existimari, & clarum ac apertum est, quod
nemo Interpretum negabit, nec negare poterit, S.
Apostolum non idem dicere de Diacono, quod auto-
ritate apostolica requirit ab Episcopo, illum non esse
debere *νεόφυτον*. Non hic novam protero explicatio-
nem, quæ a summis interpretibus dissentit, sed quan-
dam tantummodo addo observationem, Apostolum
nimirum τὸ μὴ δεῖ εἶναι νεόφυτον, non dicere de diacono,
quod dicit de episcopo. At cum una observatio &
veritas alteri viam pandat, ulterius progressus sum,
& deinde hanc etiam observationem judicio eruditorum
submisi, in primæva ecclesia non facile quidem
tales, qui vel ratione ætatis, vel ratione conversionis
νεόφυτοι fuere, ad Episcopatum sive ad Presbyterium
fuisse admissos, non tamen illos a *diaconico* τῇ λόγῳ pla-
ne fuisse exclusos. Cui observationi, quam velut
conjecturam ex priori deduxi, exemplum Timothei
a me additum fuit, quem adhuc juvenem Paulus
A 3 Apo-

Apostolus τυρεγόν & legatum suum, sive Diaconum Ecclesiæ constituit.

§. III.

Si Doct. Auctor §. III. suæ Dissertationis per formam syllogisticam observationem meam destruere studet, videat, an syllogismo prolatu tale robur & pondus insit, quod Respondenti suo in Epistola commendavit, & an satis considerate ita argumentetur: *Quæcunque requisita D. Apostolus diserte tribuit v. 2. seqq. Episcopis, non vero etiam v. 8. seqq. Diaconis; illa quidem in ordinandis Episcopis erant observanda, in constituendis autem Diaconis non item: Atqui τὸ δὲ μὴ εἶναι νέοφυτον D. Apostolus diserte tribuit Episcopis non vero etiam Diaconis; Ergo.* Satis enim appareat, me neutiquam de omnibus requisitis Episcoporum adserere, illa ad Diaconorum ordinem non pertinere. Igitur falsissimæ sunt instantiæ, ab ordinando Episcopo Apostolum, hæc etiam postulare requisita, ut sit φιλόξενος. δίδακτος, v. 2. Μὴ πληγτης, ἀλλ' ἐπειχής, ἀμαχος, v. 3, cet. a Diaconis non item, adeoque sequi, non quidem licere Episcopos ordinari homines minus hospitales, ineptos ad docendum, percussores, immites, litigiosos, posse tamen illos constitui Diaconos. Distinguenda enim sunt ejusmodi requisita, quæ ex natura & indole munieris sacri fluunt, & universo ordini ministrorum sacerorum, ne dicam, omnibus christianis, communia sunt, ab illis, quæ ob certas rationes quibusdam magis necessaria sunt, quam aliis. Prudentia consultatoria in rebus gravioris momenti dijudicandis, justa ætas, subactum judicium, & alia ejusmodi requisita, illis, qui ecclesiæ præsunt, quam maxime sunt necessaria-

faria, quibus si adderes veram pietatem, & velles concludere, veram pietatem non requiri a Diaconis, quoniam reliquæ virtutes non eodem modo & gradu ab illis requiruntur, falsissima esset illa concludendi ratio. Dum sobrium, mitern, mansuetum Apostolus Episcopum esse jubet, non id sane vult, quod reliqui christiani & Diaconi Ecclesiæ non tales esse debeant, sed hoc potius innuit, cum omnium christianorum sit, ut ejusmodi virtutes sectentur, eo magis ab episcopo id requiri, qui aliis præ esse debeat, ut observat b. io. FRANC. BVDDEVs in *theol. Dogm.* L. V. Cap. IV. §. 47. p. 1395. Addo adhuc aliud argumentum, ut ostendam, quam male Autor Disputationis procedat. De *omnibus* sacris ministris, tam Presbyteris quam Diaconis Apostolus scribit 2. Tim. II. 24. Δοῦλον κυρίον οὐ δεῖ μάχεσθαι ἀλλ' ἔπιπον εἶναι πρὸς πάντας, διδάκτηνος, ἀνεξίκανον. Non ergo debuisset Rev. A. contra me argumentari, ex mea observatione sequi, diaconos non esse debere pios, humanos, mansuetos, liberales, & requisita Episcoporum Diaconis non esse applicanda. Longe autem aliud est, τὸ μη εἶναι νεόφυτον, quod ob alias rationes, ut deinde videbimus, ab episcopis requirebatur. Monstravi igitur locum Paulinum, in quo christianæ virtutes, quæ omnes ministros sacros decent, a diaconis etiam requiruntur, & velim, cel. Auctor mihi nunc etiam locum ostendat, in quo ab omnibus etiam diaconis postulantur, ut ne sint neophyti.

§. IV.

Ordo & series rerum jubet, ut inquiramus, quid sit νεόφυτος. Minime oppugnare audeo sententiam pluri-

rimorum, imo fere omnium interpretum, sed ipse in ea sum sententia, per neophytes Apostolum sensu primario illos intelligere, qui non ita pridem a Judaismo vel gentilismo ad christianam religionem transgressi & noviter in fide christiana instituti fuerant, inque doctrina nondum satis confirmati, nec in vita sufficienter probati erant. Ita etiam omnino patres græci hanc vocem interpretati sunt; Patres Concil. Nicæni Can. II. sic decreverunt: *ne quis super assumptus ex vita vel conversatione gentili, accepto baptismo antequam cautius examinetur, Clericus fiat*, referente R. V. FINO Hist. Eccles. L. I. Interpres Syrus vocem hanc vertit οἱ νεοφύτοι ηγούμενοι i. e. infans, sive tyro doctrinæ, qui doctrinæ christianæ accurata & solida cognitione nondum satis est imbutus, quod quidem omnino de illis, qui religionem christianam noviter assūmserant, dici poterat.

Sed tamen significationem etiam ætatis non penitus esse removendam, & Apostolum id simul indicare voluisse existimo, illis, qui nondum ætate satis proiecti sunt, grave munus Episcopatus non statim esse committendum. Res ipsa hanc explicationem comprobat, siquidem in primæva ecclesia junioribus hoc officium non statim concreditum fuit. Et cum Episcopi non solum ratione dignitatis, sed etiam ratione ætatis, ab Apostolis πρεσβύτεροι vocentur, ex eo colligo, denotationem ætatis ad vocem νεοφύτος ex mente Apostoli etiam referri posse. Una vox alteram explicat, si episcopi ratione ætatis vocantur presbyteri, iidem etiam ratione ætatis non esse debebant neophyti. Ipse Apostolus hac voce se etiam annos innuisse

in-

Indicat, quandoquidem jubet, tales esse debere Episcopos, qui jam obedientes habeant liberos, eoque, quod domibus suis longo jam tempore bene præfuerint, probatum dederint, se etiam esse idoneos, ut ecclesiæ Domini cum usu præesse possint. Hæc dum scribo, revoco mihi in memoriam verba, quæ IOSVA ARNDIVS habet in *Lex Antiqu. Eccles.* p. 595. *habitus annus ille trigesimus ætas vere perfecta & virilis, ne etiam gravissimis hisce functionibus admodum essent veçvotis,* ubi hanc vocem etiam ad ætatem retulisse videtur. In concilio quidem Neocæsar: ætas triginta annorum ponebatur, quaordinatio ad episcopatum erat concessa, can. LVI. *Presbyter ante 30. annos non ominetur, etiam si valde dignus fuerit, sed hoc tempus observet, sed tempore Apostolorum nec tales ordinarie, si excipimus ea, quæ postea de ministris neophytis monebimus, ad episcopatum fuisse admissos credo, atque ætatem quinquaginta annorum requisitam fuisse ab illis, qui Episcopi ecclesiæ constituebantur multi Viri Docti existimant, & ex constitutionibus Apostolicis probant.* Illos autem, qui erant viginti vel viginti quinque annorum, ad τὰς νεοφύτας ratione ætatis pertinuisse puto, qui tali ætate ad Diaconatum quidem ecclesiæ, non vero ad Presbyterium admissi sunt, quod tales juvenes, etiæ erant in religione christiana pie ac recte instituti, & ad docendum idonei, tamen plerumque experientia longoque usu rerum spiritualium adhuc destituti sunt. Immerito igitur S. Rev. Auctor me accusat, me observatione mea ætatem a serenissimo Rege justissime prudentissimeque præscriptum vel leviter tangere videri, quam legem ecclesiasticam quo maximopere

B

sa.

salutari & utilissima habendam esse nemo dubitabit,
 cum potius existimem, tales, qui sunt ea ætate, ratio-
 ne ætatis fuisse τες νεοφύτες, qui etiam in prima ecclæ-
 sia ad ministerium sacrum admitti sunt. Si originem
 hujus vocis inquirimus, significat recens natum, ta-
 lem, qui ratione annorum est adhuc juvenis: non
 enim a φυτεύω, planto, est derivanda, ut Cl. A. putat,
 quasi significet eam, qui recenter ecclæsiae sit insitus,
 & plantatus, sed a φύω, gigno, pario. Nonigitur pro-
 prie, sed metaphorice dicitur de eo, qui novitius est
 in religione, & recens ad fidem christianam accessit.
 Vtraque tum propria, tum metaphorica significatio
 non adeo diversa est, ut potius arcto nexu cohæreat,
 & ex mente Apostoli merito conjungi & combinari
 possit, et si metaphoricum sensum a S. Paulo potissimum
 innui non negem, altero tamen non penitus ex-
 cluso, id quod res ipsa, ut jam indicatum est, in pri-
 ma ecclæsia docet. Liceat mihi, pro libertate cogi-
 tandi in republica literaria recepta novam proferre
 explicationem, quam tamen sententiam meam facere
 nolo, ad locum novi foederis, in quo forsitan ipsi Apo-
 stoli Diaconos ecclæsias neophytorum, νεοφύτους juniores in
 oppositione ad τες πρεσβυτέρους appellant. Apostolus Pe-
 trus prim. Epist. Cap. V. Presbyteris Ecclesiarum Asi-
 aticarum serio injungit, quid ab ipsis in munere sacro
 observandum sit, illos nimirum gregem Domini pa-
 scere, & episcopatu suo non lucri causa, sed animo
 lubenti & prompto ita fungi debere, ut typi gregis sint
 & aliquando a Christo Archiepiscopo coronam gloriæ
 accipere possint. Tum porro v. 5. τοῖς νεανίσκοις officia
 præscribit. Mihi persuadeo, Petrum hic eundem or-
 di-

dinem observare, quem Paulus observavit, qui primo Episcopos, deinde etiam Diaconos in epistolis suis adhortatus, & per τὰς νεωτέρας intelligere Diaconos, qui ratione aetatis, νεόφυτοι, νεώτεροι, juniores erant Presbyteris. Οὐαλῶς, scribit, νεώτεροι: similiter, vos etiam juniores Ecclesiae ministri, observeate vos etiam, quae antea Presbyteros docui; tum addit speciale monitum: ὑποτάκτη, subjecti sitis presbyteris, de quibus antea locutus sum, non quidem gradu, sed ordine, ita ut illorum consilium, autoritatem, exemplum, prudentiam in rebus sacris etiam discatis & sequamini. Ita IGNATIUS ad Magnes. §. II. Sotionem Diaconum laudat, quoniam ὑποτάκτη episcopo & presbyterio ἀσ νόμῳ Ιησοὶ Χριστῷ.

§. V.

Antequam porro ostendamus, cur Episcopi sive Presbyteri non debuerint esse νεόφυτοι, prius de illorum officio quædam mihi monenda sunt. Inter Episcopos & presbyteros nullum in primæva ecclesia fuisse discriminem, notum & a viris eruditis satis superque probatum & evictum est, inter quos vid. Cel. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS in Orig. Jur. Eccles. p. 52, cuius aliorumque argumentis hoc etiam addi mereatur, in versione Syriaca illos semper σενιόντες seniores vocari, qui in textu græco episcoporum nomine veniunt. Etsi autem tempore Apostolorum ita series habuerit, successu tamen temporis, studio φιλοπεριέλας inter doctores ecclesiæ invalescente, in singulis civitatibus unus ex presbyterorum ordine ceteris

prae*fectus* est, qui nomen episcopi sibi soli attribuit,
 ut insigni hac appellatione a reliquis facilius posset
 discerni, de quo vid. F.R. DVARENVS *de Jacris Eccl.*
ministris p. 67. officium horum Presbyterorum consi-
 stebat in eo, quod verbum divinum docebant, sacra-
 menta administrabant, alios ad munera sacra ordina-
 bant, inspectionem in singulorum mores & vitam ha-
 bebant, & res sacras atque ecclesias dirigebant, qui-
 bus ut antistites & directores erant præpositi, quo
 omnia rite ac decenter fierent. Ad hanc directionem
 ecclesiarum pertinebat etiam cura pauperum, quam
 Presbyteri suscipiebant. Vir illustris IUSTVS
 HENN. BOEHMERVS existimat, non Diaconos, sed
 Presbyteros curam pauperum gessisse, imo etiam se-
 ptrem viros illos Hierosolymitanos, quorum Act. VI.
 mentio fit, quod illis cura pauperum ab Apostolis fu-
 erit demandata, non Diaconos, sed ex presbytero-
 rum collegio desumptos fuisse; quorum quidam do-
 cuerint, alii autem verbum divinum non docuerint,
 sed cœtibus sacris præfuerint, eosque in commune
 bonum direxerint. Vid. Cel. Viri *Jus Eccles. anti-*
quum, diff. VI. §. 20. lq. Eiusdem *Diff. ad Plinium*
 & Tertull. p. 375. seqq. In eadem sententia duplices
 in primitiva ecclesia fuisse presbyteros jam fuit SAL.
 GESNERVS in L. *de Conciliis*, Tom. II. p. 65. ita scri-
 bens: *Presbyteros autem duplices fuisse*, Paulus I. Tim.
 V. ostendit, ita scribens: *qui bene præsunt presbyteri*,
duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in
sermone & doctrina. *Alii proinde presbyterorum tan-*
tum præerant consiliis & autoritate ac gravitate vitæ
ecclesiastica discipline, quales erant isti Hierosolomytani.

se

*Siquidem Apostolis ibi de gentibus non indigebat Ecclesia
aliis doctoribus, quales Titus oppidatum constituere ju-
betur; alii vero etiam docebant, ut Act. XIV. & XX.
Tit. I. Jac. V. I. Timoth. IV. Idem tuetur b. GOTH.
ARNOLD in Abbildung der ersten Christen L. II. Cap. V.
§. 21. Hoc quidem non diffitendum est, presbyteris
etiam curam pauperum incubuisse, quod vel satis ap-
paret ex Act. XI. 29. 30. ubi Paulus & Silas stipem col-
lectam ad Presbyteros Hierosolymam detulisse legun-
tur. Multæ tamen obstant rationes, quo minus in istam
eam sententiam, Presbyteros *solos* curam pauperum
gesiisse, sed porius hoc munus extraordinarium admi-
nistrationis & dispensationis bonorum ecclesiæ Hiero-
solymitanæ diversis, tam presbyteris, quam Diaconis,
imo etiam aliis viris probatae fidei, demandatum fuiss-
se ab Apostolis existimo; qua nova & satis probabili
conjectura diversæ sententiae virorum eruditorum in-
ter se conciliari possunt.*

§. VI.

Rationem, cur *υεόφυτος* non statim ad episcopatum
debeat evehiri, addit. ipse Apostolus: ne inflatus incidat
in judicium diaboli. Metuendum igitur erat, ne tales,
qui in humilitate christiana nondum satis firmas ege-
runt radices, arrogantia & fastu spirituali tumescerent,
ad quod vitium illi præsertim facile proni sunt, qui in
juvenilibus annis, vel mox post initia conversionis ad
quoddam dignitatis fastigium adscendunt; neque pro-
pter talem elationem & sui ipsius admirationem inci-
derent in damnationem, in quam diabolus per arro-
gantium incidit. Subsequentia tempora, quibus mul-
ti

ti Presbyterorum supra alios se extollere, & præ aliis
eminere annisi sunt, satis superque docent, non frustra
Apostolos tale quid præmetuisse, & hoc dogmate,
Ἐπίσκοπον μὴ δεῖ εἶναι νεόφυτον, præcavere voluisse. Jam
tempore Joannis Apostoli, Diotrepes, quem ex Pres-
byteris ecclesiæ fuisse **H V G O G R O T I V S** putat, eo am-
bitionem suam prodebat, quod præ reliquis præroga-
tivam quandam sibi vindicabat. vid. 10. **F R . B V D-**
D E I Comment. de Eccl. Apostolica p. 315. Illi igitur
deinde, qui ecclesiæ saluti inserviebant, maximopere
necessarium esse ducebant, ut ad elationem istam
impediendam iterum inculcarent monitum hoc **S.**
Apostoli. Concilia & Patres hæc verba, *μὴ δεῖ εἶναι*
νεόφυτον, præfertim de Episcopis intellexisse, indubium
mihi videtur. Ita decretum est Can. 80. Aposto-
lorum: *τὸν ἐξ ἐθνῶν βίον προσελθόντα καὶ βαπτισθέντα εἰς δι-
καιόν ἐσι παρατὰ προχειρίζεσθαι Ἐπίσκοπον.* Et Can. 2.
Concil.Nicæni: quoniam multa - facta sunt præter ca-
nonem ecclesiasticum, ita ut homines e gentili vita
nuper accedentes ad fidem, & exiguo tempore erudi-
ti, statim ad spirituale lavacrum ducantur, & simu-
latque baptizati fuerint, *ad Episcopatum vel Presbyte-*
riū promoveantur; recte habere visum est, ut nihil
deinceps tale fiat: apertum enim est apostolicum scri-
ptum, dicens: Non Neophytum, cet. vid. **G E B H .**
T H E O D . M E I E R V S in notis ad hunc Can. p. 104.
Hunc νεόφυτον protinus EPISCOPVM fieri prohibet hic
Canon, & I V S T I N I A N V S Novell. 123. Cap. I. T H E O-
P H Y L A C T V S in Commentario in Pauli Epistolas p. 685.
ita habet: quia ex Græcis ad fidem accedebant, & ba-
ptizabantur, non statim, inquit, recens baptizatus ad

tan-

tantum principatum ducatur. Addere insuper possumus aliam rationem, cur Apostoli prohibuerint, Episcopos esse debere neophytes. Ecclesia christiana tum ingentibus periculis, & diris hostium persecutionibus erat iubecta, & navis instar se habebat, quæ in vago & turbulento mari per continuos fluctus hinc inde jactatur, & mox in altum extollitur, mox iterum in abyssum detrudi videtur. Ecclesia intra syrtes gentilismi & Judaismi navigabat, hostiumque procellosi fluctus illam conquassare & devorare studebant. Inter tot pericula hostiumque insidias navis ecclesiæ sapientissimis directoribus & prudentissimis remigibus opus habebat, talibus nimirum, qui ætate, judicio, experientia, longoque rerum sanctorum usu ita erant instructi, ut ecclesiam consiliis suis dirigere possent, ut adversariorum, τὸν διαβόλον, calumnias & obtrectationes omni modo evitarent. Ita idoneæ apparent rationes, cur Episcopos prohibuerit Apostolus νεοφύτος inaugurari, quas postulat Cl. Salthenius Diff. p. 25.

§. VII.

Ab Episcopis progradimur ad Diaconos Ecclesiæ Apostolicæ. Vocis, *diacenos*, originem ejusque significacionem, quando de ecclesiæ ministris usurpatur, generalem, qua omnes sacrorum ministros, ipsosque etiam Apostolos denotat, & specialem, qua Diaconi a Presbyteris distinguntur, S. Rev. **SALTHENIUS** in disputatione sua uberiorius enucleavit. Hæc vox *diacenos* denotat ministrum & ministram, & prius originem cepit a *diaconew*, ministro, quod vicissim nonnulli trahunt a *dia* & *nivis*, pulvis ut sit, in pulvere versari & occupari

cupari, aut currere per pulverem, pulvere excitato.
 Nec male refertur hoc verbum κόνις sive κονῖν ad e-
 bræum יְדֵי quod significat, disponere, parare, quem-
 admodum distribuendo τὰ βιοτικὰ in primitiva ecclæ-
 sia occupati vocabantur διανοῦντες, sive mensam in
 pauperum usum parantes; ad quod munus quando-
 que etiam sc̄eminæ diaconissæ fuerunt adhibitæ, quæ,
 et si publice non docebant, tamen rationibus sic ju-
 bentibus baptizabant, & ægrotorum exulum, paupe-
 rumque curam habebant. Conf. C A S P. Z I E G L E R
 de Diaconis & Diaconissis, & M. Z I M M E R M A N N de
 Presbyterissis veteris ecclæsiae. Vnde Phœbe vocatur
 διάκονος ecclæsiae Cenchreensis. Et sunt ex pontificiis
 præsertim, qui putant, diaconos in nuptiis Cananæo-
 Galilæis fuisse ministras generis sc̄eminini, haud vero
 ministros extitisse. Quandoquidem autem bono-
 rum ista communio, qualis a Stephano & aliis paupe-
 rum diaconis administrata fuit, in Hierosolymitana
 tantum ecclæsia locum invenit, inde factum est, ut
 Diaconi dicerentur in gentilium ecclæsiis ad Christum
 conversis, qui docuerunt publice quoque. Et qui-
 dem omnibus ecclæsiarum ministris hoc nomen com-
 petit, qui docendo, sacramenta administrando, & ali-
 is ecclesiasticis muniis peragendis, Deo & ecclæsiæ in-
 servient. Speciali autem notatione non omnes facro-
 rum ministri, sed illi tantum, qui Presbyteros seque-
 bantur, in prima ecclæsia Diaconi vocabantur, non
 quidem respectu operum officii, quo pares erant,
 sed ut distinguerentur ab illis, qui respectu directio-
 nis & regiminis in ecclæsia Episcopi vocabantur.
 Originem autem diaconorum esse repetendam ex in-
 sti-

stitutione apostolica, qua Apostoli ad ministerium distributionis quosdam elegerunt, ne ipsi hac cura es- sent occupati, Act. VI. Cl. SALTHENIVS nullo idoneo argumento demonstrare poterit. Etenim cum his septemviris, Diaconi in ministerio verbi occupati, neutquam sunt confundendi. Alii plane sunt Diaconi illi, quorum Phil. I. i. & I. Tim. III. fit mentio, & alii sunt œconomi eleemosynarii, sive Diaconi pauperum Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Vid. C A S P. ZIEGLERVS l. cit. Cap. III. §. 16. & CAMP. VITRIN-
GA de *synagoga veteri* p. 920. sqq. supra jam vidimus, quosdam eruditos in ea versari sententia, hosce dispensatores bonorum, qui viduis & egenis ministrabant ea, quæ fideles in commune dederant, fuisse Presbyteros, qui præter officium docendi, quod illis jam incumbebat, in gratiam pauperum hanc etiam curam suscepserint; sed malim tamen, illos non unus officii viros, sed tam Presbyteros, tum Diaconos, aliosque homines honestos ac fideles fuisse. In aliis etiam ecclesiis diaconos solos curam pauperum habuisse, non probari potest. Videmus etiam ex eo, non seorsim ad Diaconos *diaconovac* pauperum pertinuisse, quod ipsi quandoque Apostoli hoc munus obie- runt. Paulus & Barnabas in Actis Apostolicis descri- bantur πληρωταῖς τὴν διακονίαν, quod eleemosynas Hierosolymam attulerunt. conf. Rom. XV. 25. & Gal. II. 10. Apostolus Paulus curam pauperum velut annexum muneris sui apostolici proponit. Quis igitur si- bi persvaserit, Diaconos solos curatores pauperum fuisse? Illi, qui antea jam docendi munere functi erunt, post hanc peculiarem pauperum curam su-

C

sce-

sceptam, docendi partes non omnino deserebant, sed continuabant, quod exemplo Stephani & Philippi satis appareat, qui, et si eleemosynarii erant, tamen verbum divinum docuisse leguntur. De Stephano satis probabile est, illum Virum gravis autoritatis & Presbyterum ecclesiæ fuisse. Reliquæ Ecclesiæ præter Hierosolymitanam sane nullis diaconis opus habuissent, si hi, qui non cum pauperibus, sed cum prædicatione verbi occnpati erant, ab illis Hierosolymitanis probe non essent distinguendi, nec re ipsa & munere differrent. Nam horum septemvirorum munus erat extraordinarium, Diaconorum autem ordinarium; illud in sola Hierosolymana, hoc in omnibus ecclesiis exercebatur; illud mox cessavit, hoc autem in ecclesia perenne fuit, & adhuc supereft, quamvis in quibusdam partibus differat a diaconatu primorum sæculorum. Sunt enim multi in ea sententia, hoc officium mox etiam in ecclesia Hierosolymana, & quidem post dispersionem fidelium, de qua Act. VIII. legitur, desiisse. vid. ven. IOACH. LANGIVS im Apostolischen Licht und Recht. POLYCARPVUS in Epist. ad Philippenses, in qua Diaconorum mores & officia describit, hujus ministerii pauperum nullam mentionem facit. Cœterum legantur, si placet, septem rationes, quibus eruditissimus VITRINGA L. cit. adstruit œconomos ecclesiæ hierosolymitanæ longe alios fuisse a Diaconis Paulinis, quorum igitur origo ab illis non est deducenda. vid. etiam Cl. G. E. G. O. D. KEVFFELII Elem. Jurispr. Eccl. T. I. p. 296.

§. VIII.

§. VIII.

Postquam igitur peculiarem curam pauperum ab officio Diaconorum sejunximus, inquirendum nunc est, quidnam illorum muneris & officii fuerit in primæva ecclesia? Cl. SALTHENIVS §. XII. suæ Diff. scribit: *Nos haud parum laboravimus, ut aliquas saltem docendi partes Diaconis vindicaremus.* At non pauci sunt, qui existimant, omnino Diaconos in Ecclesia primæva universum docendi munus æque ac Presbyteros administrasse. Hic vero bene notandum esse puto, loca & tempora probe esse distinguenda, quando de Diaconorum docendi munere disputatur. Successu enim temporis, cum prima facies ecclesiæ paulatim mutaretur, & externi ritus, officia que alia ecclesiastica multiplicarentur, illis publica docendi libertas in quibusdam ecclesiis adempta est, & tantummodo legendi ex novo testamento, & ad preces populum excitandi aliorumque rituum officium remansit. In Africanis ecclesiis soli concionabantur Episcopi, cum contra in aliis Presbyteris & Diaconis etiam concionari liceret. Quo magis autem Episcoporum autoritas & dominium, & dominandi studium crescebat, eo magis operam dabant, ut functiones quasdam sacras Diaconis subtraherent, quippe qui initio, cum Ecclesia adhuc puritate sua florebat, in paritate etiam docendi cum reliquis ministris erant, & ab Apostolis ad docendum adhibebantur. Afferat argumenta Cl. SALTHENIVS, ad probandum id quod generatim afferit de Diaconis, p. 23. illos Episcopis ac Presbyteris non solum quoad ordinem, sed etiam quoad gradum fuisse inferiores, & re-

C 2 cor-

cordetur, nobis de ecclesia Apostolica sermonem esse.
 Marc, IX. 34. seq. Cum autem Episcopi posthæc
 adeo etiam supra Presbyteros se efferre auderent, qui
 tamen initio nec ab illis distincti fuerant, quemadmo-
 dum in Concilio Hispalensi statuebatur, nec Presbyte-
 ros præsente Episcopo populum docere & adhortari
 debere, facile existimari potest, illos multo magis Dia-
 conorum muneri derogare studuisse, ut sibi solis fa-
 cram autoritatem & dignitatem conciliarent; de qua
 superbia Episcoporum leg. G. ARNOLD in der wahren
 Abbildung der ersten Christen. L. VIII. Cap. 19. & ZIE-
 GLERVS de Diaconis Cap. IX. & X. In Conciliis igitur
 Domini Episcopi statuebant, Diaconos cum ple-
 be adstare & Episcopis suis obedientiam ac reveren-
 tiam præstare, illisque famulari debere, vid. Concil.
 Nicæn. can. XVIII. quem fastum superciliosum HIE-
 RONYMVS suo tempore redarguit, & Diaconorum
 honorem ac dignitatem ita defendit, ut magnum eo-
 rum olim fuisse officium facile appareat. V. FR. DV-
 ARENVS de sacr. Eccl. Ministris p. 89. & SVICERVS
 in thes. Ecclesiastico. Non igitur officium, quo tem-
 pore Apostolorum & deinde functi sunt, confunden-
 dum est cum illorum officio saeculis sequentibus, quæ
 observatio ad diversas sententias de Diaconorum
 munere inter se conciliandas, omnino est necessaria.
 Olim admissi sunt ad docendi ministerium, ut exem-
 plo CHRYSTOMI constat; sunt verba b. 10. ANDR.
 SCHMIDII in Lex. Eccl. min. p. 217. qui Chrysostomus,
 cum adhuc esset Diaconus, plures homiliae ha-
 buit. Vincentius Martyr fuit Diaconus Ecclesiae Sa-
 ragossanæ, quem verbum divinum docuisse, nullum
 est

est dubium. PRUDENTIVS ita de illo canit Opp. p. m. 129. Exclamat hic Vincentius, Levita de tribu sacra, Minister altaris Dei, septem ex columnis lacteis. Ephrem, Edeſſæ Diaconus, ob facundiam a NYSSENO vocatur, νοντὸς τῆς ἐκκλησίας ἐν Φρεάτης, & τῆς ὀμορένης διδάσκαλος. HILARIVS autem Diaconus Romanus, ait, suo tempore, scilicet saeculo IV. Diaconos populo non praedicasse, in Comment. in Epist. ad Ephesios, quem sub nomine AMBROSI habemus. Ita loca & tempora distinguenda sunt. Tempore Apostolorum omnes fideles, qui proponendi verbum divinum dono pollebant, sine discrimine docuerunt, ut vel ex I. Ep. Pauli ad Corinth. XIV. II. squ. satis appetet. add. Act. VIII. 4. XI. 19. squ. conf. Cel. BOEHMERI *Jus Eccl. antiqu.* p. 366. sq. *Diff. ad plinium* p. 391. Cum igitur in primitiva ecclesia libertas docendi omnibus christianis esset communis, plane nullam video rationem, cur Diaconi, qui præterea sacro munere fungebantur, a docendo debuerint esse exclusi. GOTHI. ARNOLDVS autem L. cit. p. 216 ex antiquissimo quodam scriptore locum memorabilem profert, cur, cum initio omnes christiani docuerint, illis deinde, & Diaconis quoque hoc jus ademptum sit. Apostolus Paulus ad Rom. XII. 7. τὴν διακονίαν inter ea munera recenset, quæ ad διδάσκαλον in ecclesia ab ipsis Apostolis in primis constituta sunt. Et si scribit, I. Tim. III. 9. diaconos mysterium fidei in pura conscientia habere, sive puram doctrinam retinere debere, id simul jubere videtur, illos etiam doctrinam christianam pure ac sincere praedicare debere. Vers I. Cap. cit. ait Apostolus, bonum opus illum desiderare, qui

generatim episcopatum desiderant, quod munus porro v. 2 & 8. in episcopatum stricte sic dictum, & diaconatum distinguit, adeoque diaconos inter illos numerat, qui docendo ecclesiæ præponuntur & præsunt. In Conciliis, imo etiam in sacris literis, Presbyteri & Diaconi, ceu viri unius ministerii, sœpe conjunguntur. Phil. I. 1. & Can. VI. Apostol. *Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus sæculares curas non adsumat, alioquin deponatur.* conf. ACTA ERVD. an. 1686. p. 255. Imo forsan Diaconi etiam quandoque sub Presbyterorum nomine in sacris literis comprehenduntur Act. XX. 17. Jac. V. 14. quoniam non quidem ætate, munere tamen docendi pares erant cum Episcopis. Notum etiam est, Diaconos, si hoc munere fideliter erant defuncti, ad ordinem Presbyterii deinde promotoe fuissent, adeoque sine dubio jam antea in docendo omnem fidem & operam præstitisse, quo nonnulli referunt verba Pauli, I. Tim. III. 13. fideliter *diaconovætres* sibi bonum acquirere gradum. THEOPHYLACTVS ad h. l. *Hujusmodi sunt in ecclesia fulgentes e diaconis in Presbyterio & episcopali gradu.* Cum etiam Diaconi fuerint per manuum impositionem ordinati, juxta canonem concil. Ancyran: *Diaconi qui ordinantur, &c.* ordinatio autem jus & facultatem in ecclesia docendi, & administrandi sacramenta conferat, sequitur, Diaconos etiam munere sacro docendi esse funetos. Imo etiam Diaconos aliis manus imposuisse, non obscure concludimus ex Act. XIII. 1. ubi hosce omnes, qui Apostolo Paulo & Barnabæ, cum ad ministerium inter gentiles obeundum segregarentur, manus suas cum precibus & jejunio imposuere, Presby-

byteros fuisse, nemo probare potest, sed potius generatim διδάσκαλοι, vocantur. Et Act. IX. 10. 17. Ananias, discipulus Damascenus, Saulo manus imposuisse legitur, non saltem, ut visum ipsi restitueret, sed ut spiritum sanctum ad munus Apostolicum ipsi conferret. vid. PFAFFIVS in Orig. Jur. Eccles. p. 43. Falsissimus igitur est syllogismus Doct. SALTHENII p. 23. Qui potestatem habuit alios impositione manuum ordinandi Doctores, tum Episcopos, tum Diaconos; ille non Diaconus, sed Episcopus fuit; probetur enim, diaconos aliis manus nunquam imposuisse. Novam dignitatem Diaconorum observo, qua illis suffragium datum, & libertas in conciliis proponendi, concessa fuit. In concilio Nicæno præter Episcopos adfuit etiam Athanasius, tunc temporis Ecclesiae Alexandrinæ Diaconus, qui Alexandrum Episcopum senem consiliis suis plurimum ibi adjuvit, contra hæresin Ariam magna cum libertate disputavit, & jus voti decisivi habuit. Quod id circa, addit SAL. GESNERVS L. de Concil. T. I. p. 123. notari debet diligenter, quia hoc exemplum papistarum somnum apertissime refellit, qui tradunt solos Episcopos in conciliis voti, ut loquuntur, decisivi jus & potestatem habere. Diaconis etiam baptizare licuisse, apparet exemplo Diaconissarum. De Philippo, qui pro Diacono a multis habetur, vid. Act. VIII. 36. cont. TERTULLIANVS de baptismō Cap. XVII. Nec dubium mihi est, illos etiam S. Eucharistiam administravisse, quæ pars illustris est munieris evangelici, & ad diakoniev λόγος quam ad Diaconos pertinuisse, evictum dedimus, pertinet. Quid ad 10. LIGHTFOOTI & SAM. BASNAGII argumentum

bi

re-

respondendum fit, ex iis appareat, quæ de Diaconis pauperum supra allata & dicta sunt. Diaconos sacros omnino panem vinumque eucharisticum populo distribuisse, imo etiam sanctæ cœnæ symbola consecrare, testimoniis ex antiquitate desumptis probat, HENR. RIXNERVS in L. *de veterum christianorum circa eucharistiam institutis*, p. 129. Cel. CHR. MATH. PFAFFIVS in Orig. Jur. Eccl. p. 117. add. G. ARNOLD. in Abbildung der ersten Christen L. II. Cap. XV. Quod illis autem in conciliis Eucharistia interdicta sit, non tollit functionem primævam, quasi id nunquam illorum muneris fuisset, sed superbiæ & præminendi studio Episcoporum adscribendum est, qui diaconos suos esse ministros cupiebant, sibique solis honorem offrendi assignabant, imo prohibebant, ne diaconi ante Episcopos eucharistiam vel digito attingere auderent. Quorundam tamen locorum Episcopi humiliores aliis fuerunt, adeoque etiam temporibus posterioribus hoc Diaconorum officium pro ratione locorum diversum fuit, Concil. Ancyrr. Can. II. dicitur, Diaconorum esse, αὐτοφέρειν τοὺς ἀργύστερους. Contra synod. Arelat. Can. XV. eos minime offerre debere ordinavit, ut & Nicæn. Can. XVIII.

§. IX.

Hi Diaconi, de quorum officio hactenus egimus, anne etiam subinde ad ministerium sacrum admoti fuerint, etsi fuerint νεόφυτοι, ulterius nobis inquirendum est. Multa utique exempla testantur, primam ecclesiam, ipsos etiam Apostolos, ratione ætatis non adeo sollicitos fuisse, ut, si cætera bene convenient, id

id habuissent pro lege inviolabili, Episcopum non esse debere neophytum. Sic Eleutherius propter insignem virtutem & pietatem, vicesimum tantum annum agens, Illyrici Episcopus ordinatus est, referente NICEPHORO Hist. Eccl. L. III. cap. XXIX. Necarium, cum vix esset baptizatus, Episcopum Constantinopolitanum, & Concilii Directorem esse constitutum, memoriae reliquit sozomenus L. VII. cap. VIII. Reliqua exempla illorum, qui jam ante annum trigesimum episcopalem dignitatem obtinuerunt, congesit Ios. BINGHAM Orig. Eccles. T. I. p. 142. add. HENR. MULLERI Diff. de non ordinandis neophytis §. 3. Ratione religionis etiam multos νεοφύτες ad docendum in ecclesia, quinimo ad exercendum presbyterium fuisse admissos, extra dubitationis aleam positum est. Etenim anne inter illos, qui ex Judaismo sive gentilismo erant conversi, & christianæ religioni se addixerant, multos fuisse, putabile est, quibus mox post conversionem munus docendi in ecclesia commissum fuit? Unde statim in ecclesiis novissime plantatis alii debuissent desumi, si nulli potuissent esse Doctores, quam tales, qui jam ante multos annos Christianismo fuerunt addicti? Ecclesia Corinthiaca recentissime erat Christo collecta, cum S. Paulus primam suam epistolam ad illam mitteret, quo non obstante omnes admittebantur, qui publice prophetiam edere, sive verbum divinum & doctrinam christianam explicare volebant. 1. Cor. XIV. Paulus Tito cap. I. 5. mandat, ut in insula Cretensi per civitates singulas constituat Presbyteros. Hi Presbyteri sine dubio ex ipsis noviter plantatis ecclesiis

D de-

desumti, adeoque ratione religionis omnes νεόφυτοι fuerunt. Et bene notari velim, Paulum in sequenti descriptione talium Presbyterorum, quales Titus in Creta debebat ordinare, omittere vocem νεόφυτος, quam in Ep. ad Timotheum habet, ejusque loco hic requirere, Presbyterum constituendum fideles liberos habere debere, & sic satis clare mentem suam explicare voluisse, per νεόφυτον talem etiam esse intelligendum, qui adeo jam in aetate proiectus, ut filios habeat fideles & pios, quorum educatione & institutione exemplum jam dederit, se etiam alios ad fidem & pietatem veram in Christianismo posse formare. Ratione enim religionis Veteres Christiani tum non erant in insula Creta, sed omnes erant noviti. Generatim igitur omnes Presbyteri primorum christianorum, quia ex medio ecclesiæ cuiusvis urbis & loci eligebantur, νεόφυτοι in religione fuerunt. Si autem deinde ecclesia cuiusvis loci jam satis erat corroborata & fundata, nulli postea in religione νεόφυτοι, ex mandato Pauli, ad Presbyterium ordinarie eligebantur, quod in primis ecclesiarum initii necessitas ita jussérat. Quod igitur de ipsis Presbyteris diximus, id omni jure etiam de Diaconis asséri potest, ævonomirum apostolico tales saepius, qui sacris Christianorum recens erant iniciati, Diaconos esse constitutos. Patres hos Diaconos comparant cum Levitis veteris testamenti. vid. HIERONYMVS ad Rusticum Levitæ autem anno aetatis vicesimo quinto apti ad munera sua censebantur; tempore autem Davidis & deinceps jam anno vicesimo ministerium suum inchoarunt, I. Chron. XXIII. 24. sq. Quem aetatis ordinem,

nem, juventuti adhuc similiorem, quam senectuti, Apostolos ex Judæis ortos, in christiana etiam ecclesia servasse, probabile est, nullam enim rationem video, cur illum mutare debuissent. Ex desiderio rev. SALTHENII igitur exemplis historiæ Apostolicæ probavi, quod probandum erat. Facile etiam sententia mea porro cum verbis Apostoli, quæ mihi objicit, conciliari potest, qui de diaconis ita scribit: I. Tim. III. 10. καὶ οὐτοὶ δὲ δοκιμαζέθωσσεν πρώτον, εἰτα διακονεῖτωσσεν, αὐτούλητοι ὄντες. Quis enim negavit, tum Presbyteros, tum Diaconos ab Apostolis aliisque accuratissime fuisse exploratos? anne etiam illi, qui quoad religionem & ætatem erant νεόφυτοι, ante potuerunt explorari, quam ad munia sacra obeunda constituerentur? non autem tantummodo ætas, sed potius pietas, fides, sanctitas, & reliqua ad docendum necessaria requisita accurate fuerunt examinata. Quis, quæso, dixit, Diaconos sine prævia δοκιμασίᾳ fuisse admissos? Et cur juvenum imo & recens conversorum fides & constantia mox explorata & probata constare non potuit? Nervi hujus argumenti sunt admodum fragiles: quia δοκιμασία fuit requisita, ergo nulli juvenes, nulli recens conversi ad munera ecclesiastica sunt admissi. Disertum CLEMENTIS testimonium ex Epist. ad Corinth. §. XLII. a Viro Doct. prolatum, mihi magis quam ipsi favet. Apostoli, inquit, per regiones & urbes verbum prædicantes, καθιστῶν τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, primitias Christianorum, sive νεόφυτος δοκιμαστῶν εἰς τὰ πνεύματα εἰς ΕΠΙΣΚΟΠΟΥΣ καὶ ΔΙΑΚΟΝΟΤΣ τῶν μελλοντῶν πιστεύειν. Spiritu Apostoli examinarunt & probarunt, id est, revelationi-

tionibus Spiritus sancti mox edocti fuerunt, quinam
 digni successores Apostolorum in ecclesiis sint futuri,
 ut apud EUSEBIVM L. III. cap. XXIII. de Joanne le-
 gitur, quod ad vicinas gentium regiones iverit,
 καταβάσις Ἐπίσκοπες ἀληγώσας κλῆρον τῶν ὑπὸ τοῦ πνέουμα-
 τος σημανομένων. vid. HAMMONDVS in Diff. V. cap. 4.
 conf. Actor. XIII. 2. XX. 28. I. 24. quomodo etiam
 Timotheum Juvenem, secundum προαγέσσας προφη-
 τειας, & dia προφητειας, id est, per revelationem pro-
 pheticam a Spiritu Sancto designatum fuisse, legimus.
 vid. THEOPHYLACTVS ad I. Tim. I. 18. IV. 14. Erant
 saepius recens conversi insigni ardore & admirando
 zelo inflammati in primis hisce conversionis initii,
 ad tam suimet ipsorum, quam aliorum salutem pro-
 movendam. V. ARNOLD. l. cit. L. III. cap. VII. §. 8.
 Cur tales novitii, quorum fides satis erat explorata,
 non debuissent ad munera sacra admitti? In veteri
 testamento quidam Prophetæ erant admodum ado-
 lescentes, cum ad gravissimum illud munus propheticum
 a Deo ipso vocarentur, & observante ABEN
 ESR A tres prophetarum pueri, vel saltem admo-
 dum juvenes, Zacharias, Samuel, Jeremias. Alle-
 gat summe rev. SALTHERIUS contra me canonem
 XIII. concilii Sardicensis: *conveniens non est, nec ra-*
tio vel disciplina patitur, ut temere aut leviter ordine-
tur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui
neophytus est, &c. At cum de ævo apostolico inter
 nos agatur, & concilium Sardicense medio sæculi
 IV. habitum sit, in sequentibus forsan sæculis, in
 quibus priores flammæ ardentes paulatim extingue-
 bantur, propter abusum Patres Conciliorum opus es-
 se

se agnoverunt, ut ne statim in munera sacra irrumperent, qui illis nondum erant idonei, quod Apostoli nullos alios Doctores constituebant, quam satis exploratos, & in fide & constantia atque abnegatione mundi probatos.

§. X.

Supereft, ut respondeamus ad ea, quæ Rev. Auctor de exemplo Timothei monenda habuit. Hunc Timotheum, de cuius vita HERM. WITSIVS, Part. II. misc. sacr. uberius egit, & quem ego Diaconum Ecclesiæ appellaveram, Vir Doct. Episcopum fuisse, sibi & aliis persuadere conatur. Videamus, an in argumentis a V. D. prolatis tantum sit roboris & nervorum, quantum forsitan existimat. Ita autem argumentatur: Qui potestatem habuit, alios impositione manuum ordinandi Doctores, tum Episcopos, tum Diaconos ille non Diaconus sed Episcopus fuit: Atqui Timotheus --- Ergo. Majorem propositionem meam facit, id quod non concedo, nam præter Presbyteros alias etiam Doctores ecclesiæ manus imposuisse, supra jam vidimus. Minorem probat ex I. Tim. V. 22. ubi vetuit Apostolus, ne cui temere manus imponeret Timotheus, ubi de ordinatione ministrorum Ecclesiæ agi, non quidem negaverim. Sed instantiæ docebunt, an vera sit assertio, Timotheum fuisse Episcopum. Cum Major falsa sit, conclusio vera esse non potest. Apostoli & Evangelistæ, qui primo sæculo ad Evangelium annuntiandum per multas terras & urbes proficisciabantur, alios per impositionem manuum ministros ecclesiæ constituerunt:

D 3

quis

quis autem sibi persuaserit, hos Apostolos fuisse Episcopos? de quibus nullibi legitur, illos certae sedi fuisse affixos, quemadmodum THEODORETVS olim in illo errore fuit, Apostolos quondam appellatos esse Episcopos. Simon Niger, Lucius Cyrenæus, & Menahem, A&t. XIII. & Ananias manus ad ordinandum imposuerunt. An ergo fuerunt i Episcopi? Omnes ilii, qui ecclesiam quandam plantabant, sive ad tale munus immediate a Deo ipso, sive mediate ab Apostolis essent constituti, jus habebant, Presbyteros & Diaconos talium recens plantatarum ecclesiæ ordinandi, ex quo minimo sequitur, illos fuisse Episcopos. Igitur nec ex eo, quod Apostolus Timotheo notas & characteres ordinandorum cum Episcoporum tum Diaconorum præscribit, sequitur, quod Vir erud. elicere studet. Neque probari potest ex pari Timothei & Titi conditione, nondum enim evictum est, Titum fuisse Episcopum. Neque hoc argumentum Viri docti rem probat: Quicunque potestatem habuit, accusationem adversus Presbyteros recipiendi, examinandi, eosque peccantes coram omnibus redarguendi, quo ceteri timerent; ille non fuit Diaconus, sed Episcopus. Atqui Timotheus -- Ergo. Sequeretur enim ex eo, Apostolos etiam fuisse Episcopos, quod tamen fallsum est; Imo si conferas Matth. XVIII. 17. sequeretur, omnia totius ecclesiæ membra esse Episcopos, quia Christus omnibus ecclesiæ membris hanc potestatem peccantes admonendi tribuit. Denique insigne Evangelistæ nomen, quod Apostolus Timotheo tribuit, 2. Tim. IV. 5. Timothei episcopatum non adstruit. Ita etiam Philip- pus

pus Act. XXI. 8. vocatur Evangelista, de quo tamen dubitandum, an fuerit Episcopus. Etenim Evangelistæ non fuere Episcopi, sed Evangelistæ fuerunt ad ministri Apostolorum, quales etiam Eph. IV. 11. indigitantur, certis ecclesiis non præfecti, sed ad prædicandum evangelium inter illos, qui de doctrina fidei nihil prorsus audierant, hinc inde itinera suscipientes. vid. FR. A.D. LAMPIVS in synopsi hist. sacræ Lib. II. & in primis EVSEBIVS, qui munus Evangelistarum describit, Hist. Eccl. L. II. cap. 34. Vitiosa igitur omnia ista argumenta sunt, quæ Vir Doct. in medium protulit, & sine causa camulavit. Nec ab ulla solide demonstrari potest, Timotheum fuisse Episcopum. Hi enim Episcopi evangelii causa nulla itinera suscipiebant, sed in ista ecclesia manebant, cui ad illam dirigendam erant præfecti. Verum quidem est EVSEBIVM, aliasque antiquos scriptores, ex quibus rev. SALTHENIVS, CHRYSOSTOMVM allegat, ejusque notabilem locum de Timotheo Episcopo profert, cui etiam subscriptionem secundæ epistolæ Pauli ad Timotheum addere potuisset, nisi illa dubiæ esset fidei, Timotheum primum Episcopum Ecclesiae Ephesinæ vocare, illamque etiam seriem suorum Episcoporum a Timotheo inchoare, ut CONCILIOR; T. IV. p. 699. legitur. At Viri eruditissimi, inter quos virum summe venerabilem, JO. LAVR. MOSHEMIVM, nominasse sufficiat, huic traditioni nullam tribuunt fidem, & ea sunt sententia, ecclesiam Ephesinam, quamdiu S. Apostolus Joannes ibi vixit, peculiari quodam Episcopo non opus habuisse. Interpretes nonnulli quidem

dem existimant, Timotheum adhuc Ephesi fuisse, cum Paulus alteram suam ad illam mitteret epistolam, quod si ita esset, verosimile foret, Timotheum in ecclesia Epesina sedem suam fixisse; sed argumenta, quæ pro hac sententia afferri solent, nil certi probare posse videntur. Inter eos, qui satis superque demonstrant, Timotheum & Titum non fuisse Episcopos, vid. Ill. JVST. HENN. BOEHMERVS in Diff. ad Plin. & Tertull. Diff. VII. §. 9. seq. ubi etiam observat, DALLÆVM aliosque plures ad oculum ostendisse, testimonia IGNATII de Tito Episcopo Creteni neutiquam genuina esse. add. JO. FR. BVD-DÆI Comm. de eccl. apostolica p. 722.

§. XI.

Cum igitur Timotheus non fuerit episcopus, quaeritur, an fuerit Diaconus. Hanc sententiam mihi tribuit rev. SALTHENIVS, eoque satis indicat, se mentem meam non esse assolutum. Diaconi unotantum loco ad verbum divinum docendum constituebantur; Timotheus autem proficisciatur ad plures ecclesias. Et quomodo Diaconus in ecclesia Epesina ea peragere potuisset, quæ Paulus Timotheo commiserat? Cui vel per somnum in mentem venire posset, pro tali Diacono illum habere? Minime dixi, Timotheum Diaconum stricte sic dictum ecclesiæ cuiusdam particularis fuisse, sed generatim illum Diaconum Ecclesiæ, universæ nimirum ecclesiæ christianæ, omnium locorum, per quæ illa erat dispersa, vocavi. Cum enim Apostoli per totum orbem Evangelium prædicarent, omniumque ecclesiæ rum

rum Christo collectarum universalem curam gerent, in hoc suo officio cooperarios suos, itinerumque comites habebant, qui etiam nomine Evangelistarum veniunt. Hos viros Apostoli velut legatos suos ad ecclesias plantatas mittebant, ut illas in fide & doctrina magis magisque confirmarent, & de illarum statu ad Apostolos vel ore vel per literas referrent. Phil. II. 10. FR. A.D. LAMPIVS illorum nomina in synopsi hist. eccl. ita recenset: *Vestigiis Apostolorum institere viri Apostolici*, Stephanus, Philippus, Barnabas, Marcus, Silvanus, Silas, Lucas, Epaphroditus, Apollo, TIMOTHEVS, TITVS, Clemens Romanus, Soſthenes, Crescens, Dionysius areopagita, Theophilus, ad quem Lucas scripsit, Zena, aliquie. Ad hoc munus gerendum, ut omnibus iis, qui ad annuntiandum Christum idonei censebantur, ita etiam hisce συνεργοῖς Apostolorum manus imponebantur, 1. Tim. IV. 14. 2. Tim. V. 9. qui iterum nomine Apostolorum per manuum impositionem Presbyteros & Diaconos ordinabant in iis ecclesiis, ad quas veniebant, & in reliquis etiam munericis Apostolici partibus illorum vices obibant, ut clare indicat EVSEBIVS, hist. eccl. L. III. cap. 33. Cum igitur Timotheus tali potestate apostolica instructus ad ecclesias plantatas mitteretur, Ministrorum etiam cuiusvis ecclesiæ mores, officiique tractus sedulo inquirere, illosque propter excessus & defectus, si qui deprehendebantur, fraterne admonere poterat. 1. Tim. V. 19. Non autem sine ratione hi συνεργοὶ sociique Apostolorum in plantandis & dirigendis cœribus christianis, Apostolorum, & Ecclesiæ universæ Diaconi vocari possunt,

E

funt,

sunt, quoniam Apostolis legatis J E S V C H R I S T I per totum orbem, & omnibus ecclesiis quaque versus dispersis, ministerio suo inserviebant. Ipse Apostolus Paulus se Diaconum Ecclesiae, Col. I. 25. vocat, nimirum non Colossensis solum, sed Ecclesiae Christi in universum. Timotheus & Erastus laudantur Act. XIX. 22. *diacones* Apostolo Paulo. Paulus autem fuit Apostolus totius ecclesiae, ergo etiam Timotheus ipius Diaconus, non immerito vocatur Diaconus universae ecclesiae. I. Thessal. III. 2. Ita etiam alii, quos socios sibi Apostoli in prædicatione verbi adjunxerant, illorum & Ecclesiae Diaconi vocantur in sacris literis, eandem ad modum, quo in veteri testamento Josua, Mosis, & Elisa prophetæ Eliæ ministri erant. B. J. O. FR. B V D D E V S in Diff. de statu Eccl. apostolica- rum, quam sub illius præsidio ven. G O T T H. A V G. F R A N C K I V S, habuit, p. 13. ita scribit: *Cum apostoli non semper iis, que ad tot utique plantandas ecclesiæ necessaria erant, sufficerent, non dubitabant, socios sibi adjungere, qui itidem verbi divini prædicationi vacarent* -- Atque hi sunt *ouεργοι isti*, quorum passim in scriptura sacra sit mentio, qui *ouεργον* nomine ve- niunt, itemque *ΔΙΑΚΟΝΩΝ* Coloss. I. 7. IV. 7. I. Thess. III. 2. De Tychico vid. Eph. VI. 21. Col. IV. 7. Ephaphra, qui Philem. 23. 24. 25. *ouεργοις* adscribitur, no- men *διακόνος* datur Col. I. 7. de Marco vid. 2. Tim. IV. II. Cum multi in ea versentur sententia, in prima ecclesia duplarem fuisse ordinem Presbyterorum, alias verbum divinum prædicasse, alias cum sola disciplina & regimine ecclesiae fuisse occupatos, mihi quoque hæc libertas sentiendi concedi poterit, duplarem ordinem

Diaco-

Diaconorum fuisse, alios in una tantum unius loci ecclesia docuisse, alios autem, scilicet socios Apostolorum, Diaconos universae ecclesiæ fuisse. Cui autem ista denominatio non placet, iste illam omittat, & retineat eas voces, quibus hi cooperarii, Apostolorum συνεργοὶ & Evangelistæ in sacris diptychis appellantur, ne in vitium τῆς λογομαχίας incidat. In vobis enim sumus faciles, si modo in re sumus. Equidem exemplo Timothei nihil aliud indicare volui, quam id, cum etiam juniores ab Apostolis assumpti sint, ut sibi essent συνεργοὶ & Diaconi universae ecclesiæ, ex eo sequi, sine dubio etiam juniores quandoque Diaconos ecclesiæ cuiusdam particularis esse constitutos.

§. XII.

Reliquum est, ut de ætate Timothei quaedam addamus, de qua nihil certi determinaveram, adeoque nullam video rationem, cur hac in parte Cl. SALTHENIUS prolixè contra me disputet. Generatim tantum dixeram: Er war noch sehr jung, als er zum Diacono Ecclesiæ, non Ephesinæ, ut mihi vir doct. male tribuit, sed universæ, bestelllet wurde. In hac generali determinatione vir Cel. ipse meæ sententiae adstipulatur, dum p. 31. disp. ita scribit: *proinde cum Timotheus munus doctoris valde juvenis sustinuisse videatur, sequitur, posse illud ab aliis quoque Timothei similibus in eadem ætate sustineri.* Ætas autem, cum a doct. Salthenio non minus quam a me accurate determinari possit, male & adversus amorem agerem, si ipsi imputarem, quod mihi imputavit, ex generibus hisce verbis sequi, ætatem a Serenissimo Rege

E 2

justif-

justissime prudentissimeque præscriptam vel leviter
tangi; qua quidem mensura illum eodem jure & mo-
do iterum metiri possem, si inconsiderate agere vel-
lem. Ob magnam incertitudinem chronologæ pri-
mi sæculi nihil certi de Timothei ætate asseri potest;
at si aliquid conjicere licet, puto, Timotheum vi-
ginti annos tum natum, adeoque non quidem ratio-
ne religionis, sed ætatis, *νεόφυτον* tum adhuc initio
fuisse, cum Paulus illum solum & comitem itine-
rum ac laborum sibi adjungeret, quod juxta illos,
qui accuratissime seriem temporum computarunt,
anno Christi 50. anno decimo Imperatoris Claudi*i*
factum est. vid. JO. PEARSONI*i* annal. Paulini, ed.
Hal. p. 20. Ven. JOACH. LANGIVS quidem, illum
tum juvenem quindecim vel octodecim annorum fu-
isse existimat; ponamus autem annum ætatis vicefi-
mum. Anno enim ætatis vicefimo, ut supra anno-
tavimus, etiam inter Judæos, ex quibus Paulus or-
tus erat, sacerdotes constituebantur. Et ratione hu-
jus initii, & temporis, quo Paulus Timotheum af-
sumpsit, ut sibi esset *τύπος*, illum admodum juvenem
fuisse dixi, minime autem ratione illius temporis,
quo Ephefi ab Apostolo relictus est, & quo Aposto-
lus tum in Macedoniā profectus priorem ad
illum exaravit epistolam, quod præstantissimi
Chronologi anno Christi LXIV. vel LXV. fa-
ctum putant, adeoque Timotheus eo tempore,
quo Paulus primari ad illum dedit epistolam,
anno ætatis XXXV. fuisse videtur. Viri Cel. 1 A.C.
LENFANTIVS & BEAVSOBRIVS preface sur la
premiere Epitre a S. Tim. p. 347. illum tum quadragin-

ta

ta jam annos natum fuisse suspicantur. Quis autem
dixit, non prius quam illo tempore, quo Ephesi reli-
etus est, diaconatum Timothei primordia sua habuisset?
quem anno ipsius vicesimo inchoasse, eumque jam
tum, vel saltem mox deinde, a Paulo ad sacram mini-
sterium ceu οὐρεγγον suum esse ordinatum, vidimus.
Quo loco Timotheus per impositionem manuum
Pauli & Presbyterii ad sacram munus ordinatus sit,
non quidem satis appetet. At tamen cum jam longe
ante, quam Ephesi relinquetur, rebus sacris & eccle-
siis plantandis fuerit intentus, sine dubio etiam ad hanc
οὐρεγγον a Paulo fuit ordinatus. Illi jam Lystris eo
tempore, quo circumcidebatur, a Paulo Evangelistæ
munus demandatum fuisse, existimat C A S P. H E R M.
S A N D H A G E N in Harm. Evang. p. m. 231. & ven.
I O A C H. L A N G I V S in Comment. de vita Pauli p. 69.
nec sine ratione. Cum enim Timotheus Macedonia
ex urbe Thessalonicensium ad Paulum rediret, Act.
XVIII. 5. jam tum Diaconus Dei & cooperarius Apo-
stoli in evangelio Jesu Christi annuntiando a Paulo
vocatur i Thess. III. 2. Eoque tempore, quo Timo-
theus & Eraustus a Paulo Macedoniam mittuntur, jam
vocantur διακόνετες αὐτῷ. Act. XIX. 22. Jaceo reliqua.
Ordinationem igitur Timothei eo demum tempore,
quo post multos annos Ephesi a Paulo relinquebatur,
factam esse, neutquam credibile est; nec mihi in
mentem venit, illum valde juvenem ratione istius tem-
poris vocare, sed potius admodum juvenis fuit ratio-
ne computi ordinationis & primi initii ministerii sui,
quod Paulo atque ecclesiæ præstitit. Proinde si Pau-
lus ad Timotheum scribit: *nemo contemnat juventutem*

tuam, qui tamen illo tempore jam ultra triginta annos natus erat, ætas autem triginta annorum solidæ ac perfectæ prudentiæ, & magno tum animi tum corporis labore prædita sit, illum respexisse puto ad initia ordinationis, & hoc dicere voluisse: nemo ex Presbyteris te ideo contemnat, quod adeo juvenis munus sacrum inchoaveris. Nec tamen abnuerim, etiam ratione muneris, quo isto tempore fungebatur, hoc monuisse Apostolum. Cum enim diaconatus universæ ecclesiæ, quem Timotheus nomine Apostoli gerebat, munus esset vere apostolicum, Presbyteri autem Ephesini aliorumque cœtuum sacrorum viri essent quinquaginta annorum, qui jam obedientes habebant liberos, domibusque suis præerant, in oppositione ad hos Timotheus tum adhuc juvenis, & ætate longe inferior erat, quem ideo autem Apostolus a natu majoribus minime vult contemni. HENR. HAMMONDVS quidem, & TH. REINESIVS sibi persuaserunt, Timotheum illo tempore, quo Apostolus ad illum scripsit, juveniles annos nondum fuisse transgressum, quia metuendum erat, ne vitio ætatis præceps ferretur *eis νεωτερικας ἐπιθυμιας* 2 Tim. II. 22. Sed eas Paulus Timotheum cavere jubet, ne, qui tuum quidem ætate haud amplius erat juvenis, moribus adhuc adolescens videretur, nec aliis, nec in primis Pseudo-apostolis ansam daret, malevole judicandi, Apostolum hunc virum quondam ut *νεόφυτον* adhuc, in ecclesiæ munus ingredi concessisse. conf. ven. IO. LAVR. MOSHEMIVS in Comm. de Theologo non contentioso §. III.

§. XIII.

Ita nunc me mentem meam satis explicuisse, & ad ea, quæ Cel. SALTHENIUS partim objecit, partim, in quibus non recte mentem meam asseditus est, sufficienter respondisse, & uberiori ostendisse puto, quid observatione mea indicare voluerim. Si autem vir Doct. se id nescire fatetur, mirandum sane est, quod contra ea, quæ nescivit, tam prolixè scripserit; ea enim, quæ non recte capiuntur, neque refutari possunt; adeoque me nescire fateor, cur Vir. Cel. contra ea scripserit, quæ, quid indicare debuerint, se nesciisse fatetur. Mihi autem non imputet, quod ipse sua culpa fluctuet intra incertum sensum meæ orationis, quam incertis quasi sedibus vagari existimat, & in fine dissertationis suæ asserit. Alii denique judicent, an cum sapientia apostolica & spiritu Paulino convenient verba Præsidis dissertationis ad Respondentem: *at vide mi FISCHERE, qui annos XXI. nondum habes, & ante doctoris etatem doctores docere imo arguere instituis, ne hec tua etas magno sit contra receptam causam argumento.* Nobis ad illos, qui sui admiratione inflati sunt, redarguendos, monitum Apostoli-
cūm, μὴ νεόφυτον, ίνα μη, nota bene τοφωθεῖς, ad-
didiisse sufficiat.



CONTEN-

CONTENTA.

- I. *Doctrina & vita ministrorum prima ecclesiae delineatio.*
- II. *Sententia declaratur, contra quam Cel. Salthenius disputationem scripsit, Apostolum Paulum dicere de Episcopo, illum non esse debere νεόφυτον, quod autem non asserit de Diacono.*
- III. *Paralogismus in Syllogismo Cel. Salthenii ostenditur.*
- IV. *Vocis νεόφυτος origo & significatio ostenditur. Observatio ad 1. Petr. V. 5.*
- V. *Episcoporum sive Presbyterorum officium. Quinam fuerint, quibus in ecclesia apostolica cura pauperum demandata erat.*
- VI. *Cur S. Paulus prohibuerit Episcopos νεόφυτos inangurari. Patres hanc vocem de Episcopis intellexerunt.*
- VII. *Nomen & origo Diaconorum, qui non sunt confundendi cum dispensatoribus honorum hierosolymitanis.*
- VIII. *Diaconi muneribus sacris in prima ecclesia defuncti sunt.*
- IX. *Exempla & rationes proferuntur doctorum primae ecclesiae νεόφυτων.*
- X. *Contra Cl. Salthenium ostenditur, neutquam probari posse, Timotheum fuisse Episcopum.*
- XI. *Neque Timotheum fuisse Diaconum ecclesiae cujusdam particularis, sed Diaconum omnium ecclesiarum, docetur, & quo sensu talis appellatio illi trahatur.*
- XII. *De aetate Timothei agitur.*
- XIII. *Conclusio.*

Kz 1747

Vd 18

ULB Halle
005 814 154

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-672201-p0048-3

DFG



C. 7, num. 4.

32

COMMENTATIO HISTORICO THEOLOGICA
DE
EPISCOPIS ET DIACONIS
PRIMÆVÆ ECCLESIÆ CHRISTIANÆ,
QVAM
DISSERTATIONI
VIRI SVMME REVERENDI ATQVE DOCTISSIMI
DOM. DANIELIS SALTHERNII
S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN. IN ACADEMIA
REGIOMONTANA
DE
ΔΙΑΚΟΝΟΙΣ ΝΕΟΦΥΤΟΙΣ
OPPONIT
JO. CHRISTIANVS HEINZELMANN
PASTOR ECCL. BROMENSIS IN DVCATV
CELLENSI.
361
361
KUNSTFREUD
UNIVERSITÄT
ZWEIG

HELMSTADII TYPIS JOH. DRIMBORN
MDCCXL.